

Christi, c. XCVIII. ait Christum ad cœlos elevatum genu flexo Patrem adorasse, pia solum meditatio videtur esse.) Sic enim Scriptura aperte loquitur cum ait, eum rogare et interpellare pro nobis. Quod ita intelligendum, non quod sua oratione denuo mereatur et impetret nobis aliquid, ut fecit in hac vita, in qua omne suum meritum consummavit, omniaque impetranda impetravit, sed quod exigit jus meritis suis debitum et præmium a Patre jam antea impetratum, gratiam et salutem nostram, debita cum reverentia et sub missione ex parte humanitatis suæ, ratione cujus est creatura Deo subjecta. Pater quidem omnia ei dedit in manus, nihilque ei negat, sicque Christus ut homo etiam omnia potest, mediate tamen et dependenter a Deo. Cæterum Ecclesia non solet orare Christum ut pro nobis interpellat, sed ut pro sua auctoritate ipsemet nostri misereatur, et det quæ postulamus, quia attendit ad digniorem Christi naturam, divinam scilicet, ratione cujus auctor simul et largitor est honorum omnium.

VI. Quomodo ait: *Ipse Pater amat vos, quia vos me amastis?* Itane prius diligimus Deum, quam diligamur a Deo? Resp. duplici amore diligi nos a Deo, antecedente et consequente seu concomitante. Illo prius diligimur a Deo quam diligamus Deum, quia absque prævis meritis donat nobis gratiam et gloriam: isto vero prius diligimus Deum, quam diligamur a Deo, quia iste amor meretur ut diligit nos Deus; et de hoc loquitur Dominus in proposito, q. d. quia vos me amastis, hinc promeriti estis ut novo amore diligit vos Pater ex merito vestro.

VII. Quomodo exivit a Patre et venit in mundum? Resp. primo, exivisse a Patre, dum ab eo genitus fuit ex æternitate: non ita tamen exisse, ut extra eum sit; sed ut Persona a Patre distincta, in eo tamen manens: secundo, exivisse, dum a Patre missus est: tertio, dum naturam humanam induit, assumens quod prius non habuit: quarto, dum non in suæ divinitatis gloria et majestate, sed in humili, paupere et abjecta forma apparuit.

Venisse autem in mundum dicitur, non secundum motum localem (Deus enim immotus est): sed quia in mundo incarnatus, genitus et versatus est visibiliter per suam humanitatem.

VIII. Quomodo iterum reliquit mundum et ad Patrem ivit? Resp. hoc modo: quia exiit carnem mortalem, fami, frigori, doloribus et morti obnoxiam, induitque immortalem dotibus beatitudinis exornatam, et in ea ad cœlos ascendit, ubi in gloria sua visibilis habitat. Mansit interim in mundo, primo, secundum divinitatem; deinde, secundum humanitatem etiam in ven. eucharistia, velatam tamen speciebus sacramenti; denique, secundum paternam suam protectionem, qua Ecclesiæ suæ adest velut pastor ovili, medicus ægro, gubernator navi, dux exercitui, sol mundo. Hinc S. Augustinus ait: « Sic ad mundum veniens Christus exiit a Patre ut non desereret Patrem, et sic vadit ad Patrem, relicto mundo, ut non deserat mundum. »

IX. Unde collegerunt apostoli Christum omnia scire? Resp. ex eo, quod respondit ad occultam ipsorum cogitationem et intentionem, qua rogare eum volebant, quid esset illud: *Modicum, etc.* Hinc enim collegerunt penetrari ab eo corda sua, adeoque patere illi omnia veluti Deo vero. Indicant hoc sequentibus verbis: *Et non est opus tibi, ut quis te interroget, v. g. quid sit modicum, etc.* tu enim voluntatem etiam ac desiderium nostrum, quo interrogare te volebamus, perspicis. Idcirco: *In hoc credimus, quia a Deo existi, q. d. vel hoc unicum, si alia plura argumenta non haberemus, sufficiat ad persuadendum, te revera Dei Filium esse.* Existimabant ergo discipuli se jam in fide satis fundatos. Verum necdum firmi erant, uti mox insinuat eis Dominus subjiciens: *Modo creditis? Ecce venit hora, et jam venit ut dispergamini unusquisque in propria, et me solum relinquatis.* Itaque nemo suis viribus nimium præfidat: unusquisque suam salutem cum timore et tremore operetur. Solus Deus novit, quale sit cor nostrum, et quam firmiter fundatum, etc.

## AUCTARIUM.

### CONCIO I.

RATIO EXORANDI DEUM, CUM TRIBULAMUR.

I. Timendus Deus, dum castigat. — II. Unanimi voce invocandus. — III. Inquirendus auctor flagellationis. — IV. Ejicienda et corrigenda peccata, publica præsertim.

### THEMA.

*Usque modo non petistis quidquam in nomine meo.* Joan. XVI.

Proverbium est Latinis: *Qui nescit orare, eat ad mare.* Videri posset alicui, quod hucusque nondum sciamus orare, siquidem audimus in

hoc evangelio: *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis?* Et tamen nos jam per plures annos instamus orationi pro pace et tranquillitate Ecclesiæ rogantes, nec tamen pacem illam adhuc impetravimus; sed videmus in dies novis procellis Ecclesiæ naviculam concuti et jactari. Quæ hujus rei causæ? An fortassis hactenus nondum recte oravimus; ut illud Christi Domini in nos quadret, quod in hodie evangelio audivimus: *Usque modo non petistis quidquam in nomine meo?* q. d. necdum scivistis orare. Quare ut discamus orare, eamus ad mare: eamus ad navigantes, qui in mari periclitantur. Illi sciunt orare periculo edocti, quales reperio imprimis eos, qui fugientem Jonam vectabant in sæva maris tempestate, et præsentissimo naufragii periculo. Illi nos docebunt, quomodo orandum sit, ut conquiescat mare. Et quia hæc septimana orationi destinata est, demus operam, ut vel a nautis tandem aliquando discamus recte orare, et a Deo impetrare, ut Ecclesiæ navicula jactari tandem desinat.

I. *Timuerunt viri, et clamaverunt ad Deum suum.* Timuit unusquisque, ne forte ipse esset hujus tempestatis causa propter offensum Deum suum; unde ei supplices fiebant. Efficax hoc est medium ad placandum Deum, timere et invocare eum, veniamque petere. Cum enim Deus flagellum aliquod nobis immittit, aliud non intendit, quam ut timorem sui nobis inculciat, et ut nos sub ejus manu humiliemus; quemadmodum pater cum iratus filiis rugitum edit, vel virgam aut baculum eis intentat, non aliud querit, quam ut eos timore corripiat, et ad officium cogat. Sic corpora magnanimo satis est prostrasse leonis: *pugna suum finem, cum jacet hostis habet.* Ubi ergo Deum timere, etque nos prosternere ceperimus, desinet irasci. Itaque enim Mich. VI. dicitur: *Vox Domini ad civitatem (Jerosolymam) clamat et salvus erit timentibus nomen tuum, q. d. Deus per me tubali voce torpentes et rebelles Judæos corripit: et qui voce hac perterriti nomen ejus timuerint, salutem consequentur: cæteri fame et gladio peribunt.* Certe quando regi Josiæ allatus fuit liber legis forte repertus, terribiles Dei comminationes continens contra prævaricatores Hebræos, isque coram eo lectus, cor ejus perterruit adeo, ut vestimenta sua scinderet, meruit rex evadere penas illo libro interminatas, uti legimus, IV. Reg. XXII. *Pro eo, quod audisti verba voluminis hujus (ait Dominus per Holdam prophetidem Josiæ) et perterritum est cor tuum, et humiliatus es coram Domino, auditis sermonibus contra locum istum, etc. idcirco colligam te ad patres tuos, et colligeris ad sepulcrum tuum in pace, ut non videant oculi tui omnia mala, quæ inducturus sum*

*super locum istum.* Sic terrere voluit Niniven prædicatione Jonæ, et quia territa ad penitentiam cucurrit, ei pepercit. Similiter anno 396. minatus est urbi Constantinopolitanæ per os servi sui fidelis, se eam igne cœlestis perditurum. Conversis igitur ad penitentiam luctum civibus, visa est dicto die ignea nubes impendere civitati, non sine odore sulphuris. Quare ad ecclesiam fugere, et plurimi baptismum susceperunt, sic abiit nubes. Sed iterum auditur, proximo sabbato perituram urbem. Migrant ergo omnes cum Arcadio imp. in agros. Et rursum apparet fumus ingens supra civitatem. Verum, quia territi ad Deum clamaverunt nihil mali accidit. Sic Aug. de urbis excidio, l. IX. ubi subdit: « Quid dicemus? Utrum ira ista Dei, an potius misericordia fuit? Quis dubitat misericordissimum Patrem corrigere voluisse terrendo, non perdendo ferire; quando nihil hominum, nihil domorum, nihil mœnium tanta impendens præsentia læsit? Prorsus sicut solent manus erigi ad feriendum, et consternato illo, qui feriendus erat, miseratione revocari, ita factum est illi civitati. Sic August. Ad Gades fons est, teste Strab. l. III. et Plin. l. c. XCVII. qui cum mare intumescit, et procellis sævit, decrescit ac subsidit: ita quando Deus nobis irascitur, nihil melius quam se dimittere, et sub ejus manu humiliare, quemadmodum suasit angelus Agar ancillæ quando illa Saram dominam durius se affligentem fugit: *Revertere ad dominam tuam, et humiliare sub manus illius,* Gen. XVI.

II. Simul omnes unanimiter Deum invocant, quod inde apparet, quia cum unus Jonas ad interiora navis descendisset et dormiret, descendit ad eum gubernator navis et dixit ei *Quid tu sopore deprimeris? Surge et invoca Deum tuum, si forte recogitet Deus de nobis, et non pereamus.* Ita monet Joel, c. II. *Vocate cœtum, congregate populum, coadunate senes, congregate parvulos, egredietur sponsus de cubili suo.* Multum potuit postulatio decem fratrum apud Josephum Ægypti principem, nihilominus ubi is audivit superesse eis adhuc fratrem undecimum, voluit ut et ipsum adducerent, si postulata impetrare vellent. Fuit enim is Josepho charissimus, qui frater uterinus, unde et in mensa quinque partibus plus escarum ab eo accepit, Gen. XLIII. Qui autem sunt Deo secundum præsentis sæculi bona charissimi, nisi nobiles, magistratus et divites? Illis enim honores, opes, aliaque plurima sæculi hujus commoda, quæ pauperibus negavit, liberalissime dedit, adeo ut quintuplo aut etiam centuplo plus quam alii acceperint. Jure igitur postulat, ut et hi, et quidem præ cæteris diligenter Deum orent, publicis quoque precibus et supplicationibus intersint. Quis

enim magis tenetur Deum orare et diligere, eique gratias agere, qui majora, an qui minora ab eo accepit dona et beneficia? Nonne qui majora? Hinc S. Cunegundis ex imperatrice monialis quæ Juttam neptem suam promovemat, ut in monasterio a se extracto abbatissa fieret, quando vidit eam a processione domestica abesse, et domi ad mensam sedere, alapam ei infixit tanto robore, ut digitorum stigmata perpetuo in facie ejus apparerent, ut in vita S. Cunegund. 3. mart. Debebat enim promotricis suæ Cunegundis monita audire, et facta abbatissa exemplum præbere suis sororibus in peregranda processione: et quia pietatis exemplum non præbuit, præbere eis in facie sua exemplum vindictæ divinæ coacta est. Sane imper. noster Rom. hoc triduo pedibus comitatur processionem, quidni faciant hoc subditi?

III. Nautæ illi miserunt sortes, ut cognoscerent, unde illis ea tempestas immissa esset, et cognoverunt, a Deo provenisse ob peccatum Jonæ. Ita imprimis agnoscere oportet auctorem tribulationis nobis immissæ, et quidem illum esse Deum, non casum aut naturam, aut creaturam aliquam. Non est nobis opus sortes mittere et causam tribulationis investigare, quia scimus a Deo plagas omnes velutæ quo vindicæ prodire. Licet enim casu nobis evenire videantur, quia præter nostram intelligentiam et opinionem eveniunt, a Deo tamen immissa sunt. Sic aves dum laqueo capiuntur, casu sibi videntur incidisse, cum tamen auceps in eum finem laqueum eis paravit. Inde Amos III. dicitur: *Numquid cadet avis in laqueum absque aucepe? Concluditque: Numquid est malum in civitate, quod non fecerit Dominus? Malum pœnæ intellige. Homines si cui malum intentant, mali auctores dici nolunt, at non ita Deus: quinimo irascitur, si flagella ejus non ipsi, sed casui aut dæmoni, malisve hominibus adscribamus, uti de captivitate Babylo-nica Judæis immissa testatur, Thren. III. Quis est iste, qui dixit, ut fieret Domino non jubente, etc. Vult enim ut sciamus, nos ab eo flagellari ob peccata nostra, ut ea detestemur; et quamdiu id agnoscere nolumus, tamdiu pergit nos flagellare: non secus ac nos cum vulgarem ludum ludimus, pulsando unius tergum, vultu obvelato, tamdiu enim pergimus illum cedere, donec indicet eum a quo percussus est: si alium accuset, iterum eum cædimus. Sic lusit Deus cum Azotiis illis gentilibus Philist. postquam arcam Dei cepissent. Cum enim posuissent eam in templo Dagon, et vidissent suum Dagon coram arca corruisse, non credebant id ab arca, sed casu contigisse, unde restituerunt Dagon in locum suum: sed in altero mane vident rursus Dagon suum et quidem gravius collapsum ade-*

oque contractum. Dum vero necdum agnoscunt plagæ suæ auctorem Deum, ecce: *Aggravata est manus Domini super Azotiis, et demolitus est eos, et percussit in secretiori parte natium. (Ps. LXXVII. 7. LXVI. dicitur: Percussit suos in posteriora.) Vide Azotum.* Illi vero necdum deprehenderunt Hebræorum Deum ejus percussione auctorem esse, sed opinabantur ex aliqua aeris intemperie, et loci infectione lucem illam forsitan prodixisse: unde jubent arcam ab Azoto submoveri, et per terram suam circumduci. Et ecce quæcumque ducebatur arca, percutiebat Philisthæos, et stragem magnam edebat. Illi vero cæcati adhuc dubitant, an hoc Deus Hebræorum fecerit; ideo arcam plastro imponunt et vaccis sine ullo rectore trahendam committunt, ut ex illarum progressu ac via suæ calamitatis auctorem agnoscant, sinimirum recta ad fines Hebræorum pergerent: alioquin adhuc opinaturi, casu sibi accidisse. Denique, ubi viderunt vaccas cum arca recta ad fines Hebræorum tendere, tum demum deprehenderunt Deum Hebræorum sibi plagam infixisse, nec dubium videtur tunc removisse Deum ab eis, quod imiserat, flagellum, 1. Reg. V. et VI. Neque solum agnoscere oportet, quod Deus nos castiget; sed etiam quod castiget nos ob peccata nostra: sicut nautæ per sortes agnoverunt propter Jonam se puniri. Illustre exemplum est in Hereberto archiep. Colon. qui diurnam siccitatem indeque ortam famem et pestem, dum facta populi supplicatione nec tamen impetrata pluvia, culpam in se agnoscit, quasi ipse ejus plagæ causa esset, qui medius inter Deum et populum stare debuisset, cum lacrymis se accusans inter mensæ colloquia, subito Deum placatum et copiosum imbrem fruges jam pene emortuas fecundantem vidit, omnium admiratione, teste Ruperto abb. Tuitiensi, in vita 16. martii, apud Sur.

IV. Ubi deprehenderunt Jonam fugitivum a Deo et prævaricatorem esse causam tempestatis, tandem ejecerunt eum e navi in mare. Jonas noster imprimis peccata publica sunt, quæ dum non corriguntur, corripit nos Deus, uti propter Achan castigavit totum Hebræorum populum. Videndum ergo imprimis, an talia in nobis peccata vel peccatores sint ut quamprimum ejiciantur. Deinde, etiam peccata privata, nimium invalescentia et gravia. Hæc nisi ejiciantur, frustra sunt preces nostræ; quia hostem Dei nobiscum venimus, peccatam. Bias Græcæ sapiens cum impiis et flagitiosis hominibus in navi periclitans, cum illi deorum opem implorarent: *Silete, inquit, ne dii vos nebulones hic navigare sentiant, siquidem Deus impiorum precibus irritatur magis ad vindictam, quam ad opi-*

*tulandum fectitur, Laert. l. 1. c. VI. Tergiversati sunt hæc in re vectores Jonæ, qui primo quidem merces et onera ejiciebant, ut alleviarent navim, Jonam retinebant. Sed nihil effecerunt. Jonas ejiciendus fuit. Hunc in modum aliqui putant se eleemosynis placaturos Deum, licet in peccatis suis pergant. Qui profecto multum errant, et Deo injuriam faciunt, teste D. August. dicente: « Parvas faciens eleemosynas, et peccatum non deserens, quasi corruptum judicem putas te posse redimere, cum etiamsi totum dares et peccata non desereres: te ipsum deciperes, peccatiam perdendo et peccata non redimendo. » Simile exemplum habetur, II. Reg. XX. in Seba, qui ob rebellionem concitatam contra Davidem obsidebatur a Joab in Abele civitate. Hanc igitur cum impugnaret Joab, conquerenti de hoc sapienti mulieri respondit, nequaquam se civitatis vastationem querere, sed solius Sebæ: *Tradite illum solum, ait, et recedemus a civitate.* Decollarunt ergo cives Sebam ejusque caput per murum projecerunt ad Joabum, qui mox recessit a civitate. Sic: « Civitati non nisi propter civium peccata inferitur excidium. Desine peccare et civitas non peribit, » ait S. Ambr. ser. LXXXIV.*

Deinde, intellecta sorte, et exinde Dei voluntate, ut Jonas reus ejiceretur, rursus tergiversati sunt, et remigabant ut navim ad terram appellerent Jonamque salvum exponerent; sed nil effecerunt: ejiciendus fuit in mare Jonas. In terram deponere volunt Jonam qui affectum peccati retinent, nec id detestantur ex animo: ablegant a se pellicem, sed non valde procul dimittunt injurias, sed non ex corde, et data occasione vindicare se desiderant: restituere aliquando aliena volunt, sed non statim, nec cui debent: libros hæreticos seponunt et abscondunt sed non conburunt aut abjiciunt prorsus, etc. qui sane non abjiciunt in profundum maris peccata sua, nec vere ea detestantur.

Denique, cum ejiciendum intellexerunt Jonam, sublato (ut ait Arias in Jonam ex Eleazaro, probabili auctoritate) collo tenuis immerserunt in mare; et tum quievit mare. Quod ubi advertenterunt, retulerunt eum in navim: et rursum insepit sævire tempestas. Itaque ad extremum dimiserunt eum prorsus, et placatum fuit mare. Sæpe hactenus advertimus adstitisse Deum Ecclesiæ suæ, eruisseque eam a gravissimis periculis, debellasse et extinxisse hostes ejus, sique quievisse ad tempus aliquod persecutionem, quoniam ad Deum clamavimus et ejecimus peccata per poenitentiam. Sed quia postea eadem repetimus, et in cor nostrum recipimus, inde rursus sævit mare, et iterum flagellamur,

quia rursus flagellis digna committimus. Refert beatus Petrus Damiani, ep. XIX. ad Alexand. II. papam, l. II. epist. in eremo regionis Luceoli fuisse fratrem vagabundum extra suam cellam, quem proinde prior Joannes de monte Feretri, tandem a fratribus nudari et flagellari jussit: verum dum incipit post verbera se induere, iterum superbe locutus est. Jubetur ergo rursus exui et rursus verberari: sed rursus se dum vestit, procaciter obloquitur, itaque rursus ad verbera nudatur: et hoc ad septem vices. Post septimam verberationem tandem respiciens clamat diabolum a se fugisse, a quo stimulatus obloqui tentavit. Simili plane modo nostra pervicacia exasperamus Dei iram, et cogimus quasi eam, ut continuo in nos sæviat, dum continuo pergimus eam irritare.

Vidimus quomodo oraverint navigantes in mari, et quomodo impetrarint maris tranquillitatem. Hos imitemur, et desæviet, ut sperandum, aliquando procella.

## CONCIO II.

QUID IN NOMINE CHRISTI ORARE.

I. Jussu et in verbo Christi. — Amore Christi et ob merita ejus. — III. In persona ejus. — IV. In nomine Jesu. — IV. Ad nomen et gloriam ejus.

## THEMA.

*Amen, amen, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Joan. XVI.*

Levit. II. legimus institutum a Deo sacrificium quoddam omnibus commune, etiam pauperibus, qui animalia offerre non poterant, *mincha* appellatum, seu farris oblationem, quod esset de simila, cui thus imponeretur et oleum superfunderetur. Quid vero hoc sacrificium omnibus commune, quod nemo non offerre potest? Utique oratio, quam significat simila, quia oratio est cibus animæ. Ea vero primo, de simila, i. e. pura esse debet, non mixta furfuribus terrestrium cogitationum. Thus vero superimpositum significat, placituram Deo orationem, thus designatam, si condecoretur oleo superfuso s. nominis Jesu, de quo Cant. 1. dicitur: *Oleum effusum nomen tuum.* Nam ut oleum facit panem sapidiorem, ita orationem Deo gratiorem reddit nomen Christi, orationi adjunctum, de quod in hod. evang. dicitur: *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Sed quid est petere in nomine Christi? Audiamus.

I. In nomine, hoc est, jussu meo (uti exponit Ribera) et quomodo Petrus dixit: *In verbo tuo lavabo rete,* id est, jussu tuo. Scimus Thecutera illam impetrasse veniam et reductionem ab

exilio Absalonis parricidæ, quia Joab dux militiæ Davidicæ eam subornarat ac miserat ad postulandam reo veniam: unde David ubi audiit eam a Joab missam et instructam, respondit Joabo: *Ecce placatus feci verbum tuum*, quasi dicat: Non tam ad mulieris, quam ad tuum verbum placatus, facio quod petisti, II. Regum XIV. Jam vero etiam Christus docuit nos potentem et efficacem orandi formulam, adeoque posuit in os nostrum verba hæc: *Cum oratis dicite: Pater noster qui es in cælis, etc.* Ipse etiam docuit nos artem impetrandi, imo extorquendi quæ petimus, perseverando scilicet et pulsando continuo eo quod cælestis Pater velit diu multumque rogari, nec timendum esse ne simus ei molesti, si instanter oremus, sed e contra potius si a precibus cessemus. Jam ergo si David non potuit cum honestate repellere orationem mulieris et informatione ducis bene de se meriti, propositam in casu licet tam gravi, multo minus repellat orationem nostram Deus, jussu et subornatione Filii sui, cujus merita infinites majora sunt, in Patrem a nobis depromptam.

II. *In nomine meo*, id est, amore mei, seu propter me et merita mea, si nimirum te indignum putas, qui audiaris. Ita exponit S. Chrysost. et Theophylact. Tali modo et titulo filii Jacob mortuo patre, timentes ne Joseph memor sceleris in se commissi graviter eos affligeret, fratri supplicarunt: *Pater tuus præcepit nobis antequam moreretur, ut hæc tibi verbis illius diceremus: Obsecro ut obliviscaris sceleris fratrum tuorum et peccati atque malitiæ, quam exercuerunt in te: nos quoque oramus ut servis Dei Patris tui dimittas iniquitatem hanc*, quasi dicant: Quia nos indigni sumus, ut veniam nobis des, attende ad patrem tuum dilectum, ejusque, cujus et nos filii sumus, et ex cujus ore te rogamus, amore parce nobis, Gen. ult. Pari modo nos cum plerique indigni simus, qui audiamur propter nos, rogamus Patrem nostrum cælestem, ut audiamur amore Filii ejus, qui frater et pater noster fuit: sicque nos orare jussit: *Dimitte nobis debita nostra*. Videmus omnino fratres Josephi confinxisse precationem illam, quasi ex patris ore acceptam, quia Jacob jam expertus Josephi erga fratres benevolentiam, non dubitabat de constanti ejus clementia, alioquin ipsemet vivens pro eis precatus esset; nec poterat difficile fraudem hanc subolfacere Joseph: nihilominus tamen blande et leniter eis respondit, ne timerent sibi, imo super eos lacrymas fudit, multisque argumentis confirmavit eis suam benignitatem. Jam si hoc Joseph fratribus suis olim tam malignis sibi infensus et nunc præ metu mentientibus: quid nobis non sperandum de Deo Patre, si nomine Filii ejus revera, cum jussit nos petere suo no-

mine omnia, ipsum oremus? Simili artificio impetravit S. Alexius hospitium a patre suo ignotus, ingerendo ei memoriam filii sui peregrini, amissi: *Serve Dei benignitatem exerce in me pauperem, ut de micis mensæ tuæ comedam: et Deus benedicat tibi, et si quæ tuorum peregrinantur, Deus reddat tibi eos incolumes*. Quo verbo pater Euphemianus statim recordatus filii sui Alexii velut etiam peregrini et parentum amicorumque ope destituti ac deserti, mox recepit eum in domum suam, et commendavit uni famulorum suorum, Metaphrastes, apud Sur. 17. julii. Ergo si et nos pauperes rogemus Deum amore Filii ejus, qui et ipse propter nos pauper et peregrinus factus est; quid non impetrabimus? S. Eduardus Angliæ rex nemini quidquam negavit, rogatus amore S. Joannis apostoli, ita ut uni peregrino (qui S. Joannes erat) anulum de manu detractum dederit, uti refert Alredus abbas, in vita 5. jan. quid ergo non dabit Pater cælestis rogatus amore Filii sui dilecti, in quo bene sibi complacuit?

III. *In nomine meo*, i. e. in persona mea, quasi ego petam: vel (quod eodem redit) petite velut fratres aut filii mei, quasi alter ego; uti exponit Euthymius. Sic impetravit Jacob benedictionem ab Isaac patre in persona fratris sui primogeniti, Esau, cujus vestes induit, et formam corporis in pilosa pelle representavit, velut mysticus Esau; quo nomine minime eum mentitum esse vult S. Augustinus, dicendo se esse Esau, Gen. XXVII. Jam vero et vos: *Quicumque baptizati estis, Christum induistis*, ait S. Paulus, ad Gal. V. Sumus etiam omnes membra et fratres Christi velut primogeniti nostri. Quare si ex nobis non meremur accipere benedictionem Patris cælestis, petamus eam in persona Christi, cujus membra sumus, quem et in baptismo induimus. Verum hic videndum ut non sola voce dicamus nos esse Filium Dei, sed ut vestes quoque ejus induamus, ipsumque virtutum ejus fragrantia modo aliquo redoleamus, neque ei contradicamus operibus nostris, ipsive orationi Jacob si vestes Esau veluti manipulum in brachio gestasset, nihil obtinisset, induere eas debuit; sic omnino nihil juvant merita Christi nisi conformem te facies. Quid enim juvat dicere: *Pater noster*, si te filium non exhibeas? Quid: *Sanctificetur nomen tuum*, si tu quæras proprium, vel Dei nomen blasphemias? Quid: *Fiat voluntas tua*, si tu eam non facias? Quid: *Adveniat regnum tuum*, si ab eo refugias? Qui vult: *Dimitte nobis debita nostra*, si tu nolis offensam debitori tuo dimittere? Orat sicut Christus oravit, tum alibi, tum in Oliveto, prostratus, constanter, resignanter, attente. Præclare hac ratione convicit S. Eleemosynarius quemdam virum illustrem, qui

ignoscere inimico noluit; quod in ejus vita refert ita Leontius. « Malitiam reservantem quemdam illustrium, contra alium principem, audiens hic magnus Joannes monuit eum sæpe, et suavit ad concordiam et non potuit eum convertere ad pacem. Semel ergo mittit et adducit eum sanctus, quasi pro re publica: et facit missas in oratorio suo, nullum habens nisi ministrum suum. Cum ergo sancta benedixisset patriarcha et orationem Dominicam inchoasset, cœperunt dicere tres tantum illi *Pater noster*; et cum pervenissent ad sermonem, quo dicitur: *Dimitte nobis debita nostra*, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris, innuit domestico patriarcha, ut taceret. Siluit ergo et patriarcha, et remansit princeps solus dicens versum: *Dimitte nobis sicut et nos dimittimus*. Et statim conversus sanctus dicit ei mansueta voce: *Vide in quali terribili hora quid dicas Deo: Quoniam sicut ego dimitto, ita et tu dimitte mihi*. Tamquam ab igne statim cruciatum ferens prædictus princeps, cecidit in faciem ad pedes sancti, dicens: *Quæcumque jusseris Domine, faciet servus tuus*. Et reconciliatus est inimico suo ex tunc cum omni veritate. »

IV. *In nomine meo*, scilicet Jesu, seu ad salutem vestram, uti exponunt S. Gregorius et Augustinus in hunc locum. Sic oravit David, Psal. LXII. *In nomine tuo levabo manus meas*. « Quid accepturus? ait August. in eum Psal. Tamquam adipe et pinguedine repleatur anima mea. Putatis aliquam pinguedinem carnis desiderasse animam istam fratres mei? Non enim hoc pro magno desiderat, ut pingues arietes, ut pingues porci illi mactarentur, ut veniret ad aliquam coquinam, ubi inveniret aliqua obsonia pinguis, unde saturaretur: ergo aliquid spirituale debemus intelligere. » Non enim corpus, non domum, non cellam arietibus, pecunia, cibus voluit repleti, sed animam. Quæ causa est cur Christus in oratione nobis præscripta, unicam tantum boni terreni petitionem inseruerit, *panem* scilicet *quotidianum*, utpote sine quo vivere adeoque etiam pie vivere non possumus naturaliter. Reliquæ omnes petitiones sunt cælestes et animæ juvandæ gratia formatæ. Non ergo petunt in nomine ejus, qui temporalia solum petunt quia hæc et exigua, et nullius momenti sunt, ac sæpe perniciose, quod insinuavit Dominus filiis Zebedæi responso illo: *Nescitis quid petatis: quam veris bonis inanem, quam periculis plenam sublimitatem*. Videntur enim primas sedes in regno terreno petiisse, uti sentiunt Chrysostomus et Theophylactus. Similes hi sunt pueris, qui circa Joannis festum emendicant ligna ad excitandum ignem a Sancto Vito et Floriano: Sancte Vite mitte nobis ligna. Sed quo fine hæc publica

oratio et modulatio? *Ut excitetur ignis*. Et quid cum igne? *Ut eum transiliamus donec extingatur*. Magna res, frustum ligni: magna res transilire aliquot vicibus ignem. Et quid si aliqui in ignem incidant, et vestes comburant aut etiam corpus? Ita nimirum qui temporalia solum petunt, ligna petunt, excitare ignem lætitiæ, et aliquot vicibus transilire volunt. Qui tamen brevi extinguitur et sæpe multos urit hic et ibi in inferno.

V. *In nomine meo*, i. e. ad nomen meum, sed ad gloriam nominis mei, quo modo, Matth. ult. dicitur: *Baptizantes eos in nomine Patris*, Græce, *ad nomen Patris*. Ita orandum monet, Eccles. XIII. *Omni vita tua dilige Deum, et invoca illum in salute tua*; (regia habent, *in salutem tuam*). Sic orabat David Deum, II. Reg. VII. pro se, domo et populo suo, ita orationem claudens: *Ut magnificetur nomen tuum usque in sempiternum, atque dicatur: Dominus exercituum, Deus super Israel*. Sic orabat Judith prosperari consilium suum seque corroborari contra Holofernem, tandem sic concludens precationem: *Ut domus tua in sanctificatione tua permaneat, et omnes gentes cognoscant, quia tu es Deus et non est alius præter te*, Judith. IX. Orat, et vult decipi Holofernem, vult Assyrios deleri, vult obsidione urbem liberari, vult se corroborari: omnia tamen eo tendunt, ut domus Dei sanctificatio permaneat, religio vigeat, Deus vero cultu colatur et agnoscat et prædicetur: *Quia non est alius præter eum, sive (ut Græc. habet) præter ipsum pro genere Israel, conservator, protector*.

Sed nos fere propria tantum commoda quærimus: ut pacifice vivamus et fruamur bonis terræ; unde non mirum si non audiamur, teste Jacobo, in ep. c. IV. *Petit et non accipitis, eo quod male petatis, ut in concupiscentiis (G. voluptatibus) vestris insumatis*. Sic Judæi carnes postularunt non quasi ad iter necessarias, cum manna sat virium eis præstaret, sed ad voluptatem. Unde cum iis voluptuose vescerentur, puniti sunt, et locus supplicii *sepulcrum concupiscentiæ* appellatus est, Num. XI. Similem in modum Christiani multi, quia petierunt aliqua pro suis concupiscentiis, ea quidem obtinuerunt, sed ad suam perniciem. Quid quæsierunt Christiani in terra sancta, postquam eam occuparunt et aliquamdiu tenuerunt? Contenderunt pro eminentia et dignitate regia, et alter alterum impedivit. Quid jam terra illa? *Sepulcrum concupiscentiæ*? Quid tot rebellionibus quæsierunt Græci? Primam sedem in Ecclesia, et independentiam a Romana. Quid jam est Græcia? *Sepulcrum concupiscentiæ*. Quid magnates protestantes? Exemptionem a papæ obedientia, episcopatus et prælaturas. Quid apostatantes civi-